



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome  
Controuersiarum Omnium huius Aeui  
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis  
Quadripertitis digestarum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiae, 1624**

IV. An Petrus sit Petra, supra quam aedificatur Ecclesia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11726**

ioestratio vnum habendi Caput: quia maior est necessitas continendi orbem totum in vnitatem, ne variis religionibus distrahatur, quam vnam ludæam.

AD V. At sunt etiam Potestate alii alii superiores: Vt, 1. Tim. 5. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* En potestatem Episcopi supra presbyterum. Sic & Concilia.

AD VI. Vt vnus orbem per se regat, fieri nequit; neque id dicimus: at per multos vnum regere, possibile est, ac vtile.

AD VII. Si deo æquentur, qui simul numerantur, iam pares erunt Duces, Consules, Imperatores, &c.

AD VIII. Non istis verbis est vnus aliquis præpositus; sed istis, Ioann. 21. *Pasce oves meas.*

AD IX. Disparitas est: Orbis totus debet habere Vnum, qui præsit omnibus, vnam ad legem obseruandam adstrictis: at Politica regna non debent habere eadem leges; ergo nec vnum esse regnum regemque necesse est.

#### QVÆSTIO IV.

*An Petrus sit Petra, supra quam ædificatur Ecclesia?*

**L**VTHERO-CALVINISTÆ pernegant.

I. LVTHERANI communiter; Petra est, non Petrus, sed Fides, fideiq; Confessio. Sic Lutherus l. de potestate Papa; Magdeburg. Cons. 1. lib. 1. c. 4. Et lib. 3. Schmalealdici de Primatu Papa. Docere narrantur de S. Patribus, qui Fidem esse fundamentum Ecclesie dicunt.

Illyrici ratio hæc est: Si Petrus erat Petra Ecclesie; iam tum corruisset, eum ei, de Passione Domini respondentem, dicebat Iesus Mat. 16. *Vultis post me Satanas scand. es mihi: quia non scyris, que Dei sunt.* Et eum, Matth. 26. negavit IESUM.

II. ERASMVVS in Matth. 26. ex Orig. Tract. 1. in Matth. *Petra est omnis, qui imitator est Christi, & super omni ædificatio Petra ædificatur Ecclesia Dei. In singulis enim Perfectis, qui habent in se congregationem verborum, & operum, & sensuum omnium, consistit Ecclesia, cui portæ non prævalent inferorum.*

III. CALVINVS Inst. l. 4. c. 6. §. 6. ait; Petra illa erat Christus. 1. Quia 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus.* 2. Sic August. tract. vlt. in Ioan. *Super hæc Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Et Retract. l. 1. c. 21.

AUTOR. Petrus est Petra; non quæ hæc persona particularis; sed quæ Pastor & Caput Ecclesie. Sic Scriptura; Petri Prærogatiua; & Consensus Græcæ Latinæque Ecclesie. 1. Scriptura Promissionis, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super HANC.* &c. Et Petrus dicitur Cephias, Ioan. 1. Cephias autem Syriacum, est Petra, ait Hieron. in Gal. 2. *Et πέτρος articum est ac rarius. ideo interpretis rectius vertit ου ει πέτρος; και επι ταυτη τη πέτρα οικοδομησω.* &c. Quia igitur πέτρος virum & saxum significat; πέτρα verò solum Petram; ideo ambigui vitandi causa vertit interpretis secundo loco Petra. Vide in Antichristop. 2 q. 2.

2. Scriptura Exhibiti promissi, Ioa. 31. *Pasce oves &c.* De hac infra q. 6.

3. Consensus vtriusq; Ecclesie huic accedit apud Bellarminum lib. 1. de Pont. cap. 10.

DICO I. AD LVTHER. Fides, seu Confessio accipitur Vel absolute simpliciter & in se, absque relatione ad Petrum: Ut volunt Lutherani: Vel cum relatione ad Petrum complexè; & verè. 1. Si absolute; non dixisset *Iesus ædificabo, sed ædificauit*: quia iam plures verè crediderant. 2. Fides absolute; est verè fundamentum Iustificationis ac vir-

V tutum

tutum; sed non Ecclesiæ: Nam eiusdē generis esse debet fundamentum & ædificium: Atqui Ecclesia est fidelium hominum congregatio; ergo & fundamentum esse Homo debet.

Idcō articulus, *Hanc*, refertur ad Petrum: *Tu es Petrus*, non Fides sola: & *super Hanc Petram*, hanc huius Petri fidem, Pastoris & Capititis. &c. 1. Cuius fides merita est, ut ille per eam sit fundamentum: Ita S. Patres. 2. Cuius, ut Pastoris, officium debet alios in fide confortare. *Luc. 22.* Ita S. Patres sunt intelligendi: non de sola Fide absolutē.

DICO. I. AD ILLYRICVM, 1. ait S. Hieronymus, Petrum tunc necdū fuisse Fundamentum: sed id promissum accepit post resurrectionem. 2. Petrus non erravit à fide; sed ignoravit: Item in negatione excidit à Charitate, non à Fide absolutē.

DICO II. AD ERASMV M ROD. 1. Ea Origenis expositio est allegorica, non Literalis, ut Erasmo fingit. 2. Alibi idē literaliter explicavit de ipso Petro. Deinde si omnes fideles sunt fundamentum; ubi est ædificium? Ut 1. Cor. 12. *Si totum Corpus oculus; ubi auditus? &c.*

DICO III. AD CALVINVM quidem. 1. Haud dubiè *Christus est Petra* Primaria, & etiam Secundariæ illius Petre Petri Petra est. Hic tamen Christus loquitur ad Petrum, non ad teipsum; teste vocata, *Hanc*, proximè dictam Cephā: cui ait, *ædificabo*: Nam eum nondum cōstituerat Petram, sed fore promisit. Itaque Paulus loquitur de primario fundamento Christo: Vnde Eph 2. *Super ædificati super fundamentum Apostolorum*; scilicet secundarium: Quæ, *Apoc. 21.* sunt duodecim secundaria.

2. S. August. non reprobatur nostram sententiam; sed illam aliam antefert, dicens: *Harum duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat Lector.* 3. Et is laboravit ignorantia linguæ Hebrææ, putans supra *Petrinum fundam.* dici ædificatam. &c.

Quare hoc promisso, est iam hic potētia, dein actu Petro commissum omne Regimen totius Ecclesiæ ac Fidei. 4. Et cæteri Apostoli dicuntur etiam fundamenta; 1. Quia Ecclesias vbique fundarunt. 2. Ratione Doctrinæ eis à Deo reuelatæ, quæ est *Fundamentum Apostolorum.* 3. Ratione Gubernationis; nam omnes erant Pastores, & Capita; ut Legati: sed non ut Petrus Ordinarius ac Primarius post Christum Pastor, & Caput Apostolorum: teste *Hieronim. libr. contra Iovin.*

#### Q V Æ S T I O V.

*An Petro sint promissæ CLAVES;  
& quid ea significant?*

LUTHERANI pariter & CALVINIANI omnes negant hic quicquam Petro promissum; sed Ecclesiæ totū, ut cuius ille personam gessit. Ita Lutherus *lib. de potest. Papæ. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. & 2.* CALVINVS *Instit. l. 4. c. 6. §. 4.* Schmalcaldici *lib. de primatu Papæ. &c.*

SVADET id istis Lutherus: 1. Petrus nomine omnium respondit: *Tu es Christus*: sic & nomine omnium audiuit, *Tibi dabo claves.* 2. Claves promittuntur Petro, ut Dei Patris auditori, non ut filio Ionæ: Sed de Ecclesia sola constat, quod sit auditor Dei: ergo Ecclesiæ sunt promissæ claves. 3. Petro mortuo Claves in Ecclesia manserunt: ergo Ecclesiæ sunt promissæ & datæ. 4. *Matth. 18. Quæcunque alligaueritis. &c.* Et *Ioann. 20. Accipite Sp. Sanctum. &c.* Hic dan-